Finn. Johann.

Responsio apologetica
de Chronologia Gunnlaugs-Sagæ
1780.

FINNI JOHANNÆI,

S. S. Theol. Doct. & Diœcef. Skalholt. in Island. Epifcopi,

RESPONSIO APOLOGETICA

AD

JOHANNIS ERICI,

S. R. M. a Confiliis Status & Juftitiæ, Præfecti Redituum Regiorum, & in Collegio Cameræ, & Teloniorum Generali: Affefforis in fummo tribunali, Regiarum Societatum Havnienfis & Norvegicæ Membri &c. &c.

EPISTOLAM

DE

CHRONOLOGIA GUNNLAUGS-SAGÆ

occafionem fubminiftrante

Hift. Eccl. Island. Tom. IV. pag. 358—68.



HAVNIÆ,
Typis Orphanotrophii Regii
Excudit Gerhardus Giese Salicath,
MDCCLXXX.

Qvantum universus noster septentrio, qvatenus bonas literas præ reliqvis mundi partibus amat & æstimat, specialiter vero antiqvæ trium regnorum borealium historiæ cultores, specialissime autem non modo Historiarum, sed universæ, qvam illæ continent, profundæ sapientiæ amatores, præstantissimis, celeberrimis & nostra laude longe majoribus duumviris nostratibus *Torfæo* & *Magnæo* debeant, nemo nescit, nisi qvi his studiis aut nunqvam ullam dedit operam, aut hospitem ex eorum desidiosa tractatione animum retulit. Nec minus Tu vir Perillustris, tertium hujus bigæ magnum incrementum, huic literarum generi insigne attulisti emolumentum, ut Tua in rem literariam merita optime loqvuntur. Sed ne me latissimo vestrorum in rem literariam meritorum enumerationis campo credam, ex qvo forte mihi non facilior qvam ex labyrintho patebit exitus, cujus fructus & flores, etsi qvosdam colligere conarer, hujus tamen paginæ angustia minimam eorum partem caperet; ad solam me converto chronologiam, difficillimam illam & laboriosissimam scientiam, præsertim qvod ad regna hæc borealia & eorum historiam spectat, ubi incolæ literis & artibus dediti historias bene multas conscripserunt, sed qvasi ex innato qvodam cacoëthe & recepto more temporum rationes, oculum illum & dexteram historiæ manum, aut plane neglexerunt, aut negligenter tractarunt. Sed qvantum ad ejus restitutionem contulerit immortalis noster *Torfæus* optime testantur ejus scripta: Ego sane in illis nihil magis qvam laborem chronotaxi impensum, & felicitatem in ejus adornatione admiratus sum, multa autem in qvibus defecit aut rem non tetigit *Torfæus*, explicuit aut ornavit vere magnus *Magnæus*. Tu vero amice vetus & in paucis honorande, qvi illustrissimæ Sevirorum Societatis, a Regia Majestate eum in finem institutæ, ut antiqvæ historiæ lingva Islandica olim scriptæ, qvam accuratissime tractatæ in lucem prodeant, magna pars es, Editione Vitæ Gunnlogi Ormstungi sat luculenta edidisti documenta, qvid & qvantum a Te hac in re respublica literaria, si non gravioribus negotiis impeditus fueris, sperare potuerit, in qvam Chronotaxis, qvæ



margini impressa est, a Celeberrimis Viris *Torfæo* & *Magnæo* non simul & semel, sed diverso tempore ab eorum singulis ad ductum historiæ & mentem veterum primo adornata est, deinde autem a Te ut ipse fateris, calculis ultro citroqve ductis, & universa hujus chronologiæ compage cum relatione aliarum historiarum collata, qvam primo, donec in alias, qvæ mihi visæ sunt meliores, incidi rationes, amplexus sum, sed his inventis ab ea defeci; unde patet, qvod & nunc serio vereqve fateor, me nullo contendendi pruritu, invidia, ostentatione, aut talibus, sed solo veritatis amore & sancta simplicitate adductum fecisse. Nam qvid ego, homo plane mediocris cum tantis reipublicæ literariæ heroibus & jam beate qviescentibus qvos colo, suspicio, veneror, aut cum Te amico veteri, cui multa magnaqve debeo, de re tantilla contenderem, aut minus honorate, qvam decet, de vestris laboribus methodo aut rationibus aut verba facerem aut sentirem? Absit! imo longe a me abest talis cogitandi methodus. Licet autem me expressis verbis non monueris displicere Tibi, aut qvod vocaverim chronologiam Gunnlaugianam vulgarem, & legem de abrogatione Duellorum *Plebiscitum*, & qvæ alia ejusmodi esse possunt, suspicor tamen id tibi & aliis displicere posse, qvod etiam ex erudita & prolixa Tua ad me data Epistola, odorari videor, cui licet tam ut Tuam insignem eruditionem, qvam materiæ dignitatem decet, hac vice negotiorum multitudine, qvæ nullam patiuntur procrastinationem, & temporis angustia circumscriptus, respondere non possem; simplicem tamen hanc & curtam tibi potius transmittere Apologiam & rationes, cur me in toto hoc negotio ita gesserim, qvam plane tacendo dissimulare consultius duxi.

Siqvid peccavi vocando chronologiam margini Vitæ Gunnlaugianæ adscriptam vulgarem, inde fluxit. a) Qvod de re potius qvam verbis sollicitus, voculæ hujus communem usum & significatum, qvem apud præsentis & priorum seculorum sciptores obtinet, in phrasibus: *Æra vulgaris*, sententia *vulgaris*, *vulgus* eruditorum &c magis aspexi, qvam nativam vocis notionem, secundum qvam non vilem & abjectum sed communem vel etiam popularem significare videtur: b) Vulgarem illam vocavi eo præcipue respectu, qvod putavi viros eruditissimos *Torfæum* & *Magnæum*, qvibus chronologia margini adscripta tribuitur, eandem in vulgari illa nostratium sententia fundasse, qvod Sveino Daniæ Rex anno vulgaris Æræ 1009, sed secundum eorum computum ætatis Gunnlaugianæ 21, occubuerit, hæc enim certissima in Vita Gunnlaugiana esse meta, cujus

jus indicio temporum rationes furfum & deorfum, feu antrorfum & retrorfum, ad veterum mentem accommodatæ erui poffe videbantur. c) Talem tempora computandi modum, id eft mortem Sveni Regis ad annum 1009 referendo, & inde alias rationes deducendo, fcilicet: irruptionem Canuti Magni in Angliam, Erici Comitis e Norvegia abitum, Olai Craffi in eam introitum, & permulta alia, haud pauci veterum ufurpant ut *Knytlinga Saga*, *Olai Tryggvini Vitæ appendix*, *Olai Craffi Vita*, *Snorro Sturlæus*, *Annales Regii* & alii. d) Hanc etiam ego ut veram & probabilem primo fecutus fum fententiam, ut ex *Hift. Eccl. Island.* Tom. I. pag 167. apparet, & forte femper pro vera habuiffem, nifi *Eyrbyggia Saga*, mihi multoties ante lecta, aliqvando evolvenda fuiffet, ubi in Angvilingvem noftrum incidens, qvafi ex gravi excitatus lethargo, incufata haud leviter mea ofcitantia, qvod tam celebris loci oblitus fuiffem, totoqve hoc negotio fub feverius examen revocato, & *Eyrbyggia* cum *Gunnlaugi* & *Biorni Hytdalenfis Vita* collata, fententiam mutare non dubitavi, ftatimqve, ne oblivioni denuo daretur; in commentarios contuli, eum unice in finem, ut hujus veritatis indagatio, offerente fe apta occafione, cum publico communicaretur; id enim me ut veritatis amantem Hiftoricum decere putavi, ideoqve tandem in *Hift. Eccl. Island* Tom. IV. pag. 348 transtuli. Dictas autem ob caufas hanc fententiam vulgarem appellavi, minime vero ex faftu qvodam, contemtu, aut finiftro ullo in magnos illos & noftra laude majores viros *Torfæum* & *Magnæum*, qvorum manes fummo femper profeqvor honore, ut loc. cit. luculenter declaravi. Qvæ autem Tu Vir Perilluftris ad chronotaxin Gunnlaugianam attul fti, & in ejusdem *Vitæ* edit Havn. 1775 pag. 158—59 & alibi leguntur, nunqvam vulgaria vocavi imo me nunqvam tale qvid de illis cogitaffe vere ferioqve conteftor, ipfa enim fecum ferunt, qvod fint viri eruditi, optimi ingenii, limatiqve judicii, magna cura & circumfpectione editus foetus qvo, ad tuendum Vermilingvis noftri nativitatem anno 998 incidiffe, qvid doctius & limatius edi poffe non video.

Alterum, cujus ratio a me poftulari poteft, eft qvod Conftitutionem de duellorum judiciariorum abrogatione factam *Plebifcitum* appellaverim. Qvantam vim & auctoritatem Plebifcita, fi modo rogante legitimo Magiftratu de re licita & legitima facta effent, Romæ habuerint, ex Hiftoricorum principis *T. Livii* relationibus patet, qvi talem eorum formam ad nos transmifit. Vellent juberentqve fenatum decernere, ut bellum indi-

 ceretur,



ceretur, pax daretur, lex figeretur. Et *Cicero de Orat.* dicens: Consularem potestatem plebiscitis sæpius imminutam fuisse. Hinc & *Livius* Lib. 3. Cap. 55 scribit in controverso jure fuisse tenerenturne Patres Plebiscitis, plebem autem illis teneri nullum fuit dubium. Et Plebiscita sæpius Romæ legis vim retinuisse multis exemplis probari potest, accedente autem Senatus consensu, lex ex illis fiebat. Ubi etiam observandum venit, Remp. Islandicam hoc tempore non plane fuisse aristocraticam sed ex Aristocratia & Democratia mixtam, magisqve ad Democratiam qvam Aristocratiam declinasse, historiæ docent. Divisa enim fuit in duodecim partes principales (12 *Sysslor*), qvæ iterum in minora 3-4 aut plura imperia vulgo *Godord*, & ea iterum in partes dividebantur, qvorum possessor aut ipse aut per vicarium certo colonorum numero stipatus in comitiis generalibus omnes suos repræsentaturus subditos, adesse debuit, qvorum si nova qvædam lex figenda, aut antiqva refigenda esset, consensus reqvirebatur, sine qvo nihil notabile a Nomophylace effici potuit, ut ex divisione totius provinciæ in qvartas, & qvartarum in trientes, christianismi & decimarum introductione, reformatione antiqvæ legis, promulgatione juris Ecclesiastici, & id genus aliis clarum est, ut & qvantum unius Prætoris, imo Coloni cujusdam, si modo auctoritate, divitiis, eloqventia, sapientia aut calliditate pollebat, intercessio aut persvasio efficere potuerit, Thorsteni Surti, Niali, Sæmundi Frodi aliorumqve exempla docent. Jam vero eum ex magnæ & insolitæ multitudinis, qvæ hoc anno in Comitiis apparebat, cujus maximam partem populus seu plebs efficiebat, consensu & approbatione, lex de duellis tam in se & per se ipsam, qvam respectu conseqventiarum, optima & utilissima refigeretur, qvid obstaret, qvo minus Plebiscitum, qvam Senatusconsultum aut tale qvid vocari posset, non vidi, unde nulla rei invidia aut cujusdam contemtu, sed puraputa simplicitate inductum me hac vocula hic & alibi usum esse in propatulo est.


Tertium, cujus hic rationem reddere teneor est, qvod conjectatus sim constitutionem seu Plebiscitum hocce non semel & simul sed successive factum esse, id est duellorum cacoëthes prima hujus edicti propositione non penitus decollari potuisse, sed ea posthac etiam in foro generali sub ipsius Magistratus oculis & oblata & accepta fuisse, licet ob aliorum interventum impedita fuerint, qvam assertionem notabili loco ex *Liosvetninga-Saga* cap. 15. probare annixus sum, qvi ita se habet: "Því

"vil

" vil eg ſkora þig til holmgaungu, ad þú komer á þriggia nátta freſte í " holm þennann er her liggur í Öxará, og menn hafa vered ádur vaner á " hólm ad gánga, og beriúnſt þar ſo ſem forn lög liggia til. " Id eſt: *Ad duellum te provoco, ut in hac inſula, intra amnem Öxaraa ſita, qvem locum antiqvi monomachiis deſtinare ſoliti fuerunt, poſt triduum te ſiſtas, & ex antiqvo legis præſcripto mecum duello confligas.*

Ubi habemus Thorerem, virum prætura fungentem, in ipſis comitiis, virum nobiliſſimum Gudmundum Riki verbis maxime emphaticis, adjecta ignominiæ nota, ad duellum provocantem. Et mox cap. 17. Vigfuſum Vigaglumi ipſum Gudmundum ita alloqventem. " Eg mun gánga " til lögberges í dag og ſkora til hólmgaungu Einar bródúr þinn, ſkal eg " veita formæli þar um miklu ferlegre, enn vid þig var mælt, en ef hann " berſt vid mig, mun eg drepa hann. " Id eſt: *Hodie ego in dicaſterium prodibo ad duellum citurus fratrem tuum Enarem, ad qvem efflagitandum, verbis utar multo famoſioribus, qvam qvibus tu provocatus es. Si autem conflictari mecum audeat, eum e medio tollam.* Qvando hæc facta ſint, non liqvet, ſed vivo adhuc Thorkillo Hak & Skarphedino, id eſt ante Comitia anni 1011, non accidiſſe inde liqvet, qvod Skarphedinus anno 1011 Gudmundo ut ignominioſum probrum objecit, qvod Thorkelum Hak & Thorerum Helgonis, ob nefanda probra ei afflicta, & conflatam ignominiam, non adhuc ultus eſſet. Si autem Skarphedinus mentiens id feciſſet, Gudmundus id negare potuiſſet, & ſi in his ipſis Comitiis Thorerum eo modo ultus eſſet, ut *Liosvetninga-Saga* ibidem illum tandem feciſſe refert, Skarphedinus ei hanc ignominiam objicere non potuiſſet. Ipſe auctor *Vitæ Gunnlaugianæ* expreſſe dicit duellum Rafno-Gunnlaugianum accidiſſe poſt incendium Nialianum, qvo ſibi ipſi contradicit, ſed qvomodo id ſi non ſalvari, aliqvatenus tamen excuſari aut palliari poſſit in *Hiſt. Eccleſ. Island.* Tom. I. pag. 176. monſtravi, Tuqve ipſe vir Perilluſtris nota 101. pag. 156. Vitæ Gunnlaugianæ publice confeſſus es. Tandem & id in provocatione Thoreris notandum, qvod dicit " og " beriunſt þar ſvo ſem forn lög liggia til, ɔ: *ibiqve pugnabimus eo modo qvem antiqvæ leges præſcribunt.* Qvo ſenſu hic legem de controverſiis duello terminandis *antiqvam* vocare placuit, ſi jam alia recens ei contraria non exſtitit, non video; inuſitata enim phraſis eſt, niſi ſermo ſit de conſtitutionibus qvibusdam abſtruſis & vulgo ignotis, qvod hic locum non habet, cum lex de duellis omnibus eſſet notiſſima; unde hoc hujus rei

epithe-



epithetum alibi, (qvantum memini) nec in *Niali*, *Kormaki*, *Egilli*, nec hac ipsa *Gunnlaugi Vita* usurpatur, licet in his duellorum freqvens mentio fiat; non itaqve vero absimile est, hunc esse verborum Thoreri sensum: Qvid novella illa de duellis paucis abhinc annis facta constitutio dicit, parum curo, veterem autem illam viris fortibus dignam magis suspicio; te itaqve modo non sis plane effæminatus, (hoc enim erat probrum qvod ei affinxerant, & ille jam ultum ibat,) ex tenore antiqvæ legis de duellis ad tale certamen provoco.

Aliud ejusdem farris refert eadem Historia cap. 28, ubi Hrolfus Tiorfi, vir etiam Prætorius, de Ejulfi Gudmundini injustitia qverens, Skeggbroddum in foro generali ita alloqvitur: " Eg mun bióda hönum hólm-" gaungu, hvört hann vill helldur vid fiorda mann, edur ad vid eiginst " vid tveir. " Id est: *Eum ad duellum provocabo, sive velit ut uterqve triumvirali comitatu simus instructi, sive singulari certamine confligamus.* Cui Skeggbroddus, vir itidem Prætorius & magni nominis heros, respondit. " Þú ert hetia mikel, og ei rádlaus, og haltu þessu framm, enn eg " skal til med þer, og rádást moti þeim nofnunum. " Id est: *Tu mi Hercle vir fortis es, & consilii non expers; in his perge, ego tecum ero, & si opus est duos illos ejusdem nominis aggrediar.* Ejolfus autem hæc audiens timore perculsus, & ab amicis ad saniora consilia traductus, Hrolfo tolerabiles obtulit conditiones. Nec de nihilo est Skeggbroddi, viri sui seculi honoratissimi (de qvo præter alios videnda *Bandamanna-Saga*) responsum, qvi tantum abfuit ut Hrolfum ab incepto dehortaretur, eiqve legis nuper latæ debitum honorem & observationem, pænæqve transgressores manentis rigorem, & inde fluens damnum & dedecus inculcaret; ut ejus institutum laudaret, & ad perficiendum instigaret, seqve ipsum ei socium & adjutorem fore promisit. Nec omnino negligi debet, qvomodo provocati aut provocandi se gesserint, ut congressum cum hostibus multo fortioribus, furore & injuria inflammatis, eorumqve sangvinem sitientibus, evitarent, qvi, etsi Gudmundus & Ejolfus essent omnium sui seculi potentissimi, & vim vi facile possent repellere, aut peritissimum qvendam pugilem aut athletam suo loco pugnaturum submittere, vel etiam nuper latæ legis vi, qvæ duella vel monomachias prohibuit, provocationem contemnere possent, neutro tamen hocce medio uti volentes, Gudmundus legem transgredi, & armis Thoreri potius occidi maluit, qvam fortitudinis famam talibus utendo perfugiis pusillanimitatis

signa

ſigna prodere, nam ex animi altitudine qvidqvam remittere, ſumma habebatur ignominia, ut Tu ipſe vir Perilluſtris loc. cit rectiſſime agnoſcis & erudite ediſſeris. Qvod autem Thorerus ab hac provocatione ſine manifeſta ignominia deſtiterit, non dicam. Nam qvod Skaptius Nomophylax, aliiqve viri boni, legum obſervatores & pacis amantes, eum collaudaverint, & omnia ſua conſilia & vires eo verterint, ne hoc duellum committeretur, pariter veriſimile eſt, ac qvod reliqvi Thorerem vituperaverint & deteſtarint; illum autem hoc valde invitum, Enari viri callidiſſimi perſvaſionibus victum & ſpe honeſtæ transactionis ineſcatum, feciſſe, nullus dubito; ab Enare enim & ejus conſiliis ſuam ſalutem pendere, & ſi ab eo deſereretur, actum de ſe eſſe, probe novit, unde qvicqvid tandem ſibi eveniret ejus ſeqvi ſigna & conſilia conſtituit. Ejolfi autem provocatio intra conſultationes & propoſitum ſtetit, cum is, ab amicis & interceſſoribus monitus, magnam potius pecuniæ ſummam erogare, qvam tanto periculo ſe exponere vellet. Bardio autem, viro eqvidem magnanimo & pugnaci, ſed ſedato & prudenti, a Grettere non tantum provocato, ſed verbis probroſis & maxime emphaticis ſub ignominiæ nota expoſtulato, alia mens fuit; animo enim vere magno, ſapientia & forte legis hujus obſervantia ductus, Gretteris exprobrationes contempſit. Qvæ omnia cum ſerio expenderem, magnopere mirabar, neminem horum, Gudmundum nempe, Ejolfum, Enarem Thveraaënſem, Skeggbroddum, & alios multos, unqvam hujus legis, paucos ante annos latæ, nec Skaptium, ſupremo fungentem Magiſtratu, cujus id fuit officii, ut talibus ore & opere contrairet ac intercederet, nec qvemqvam magnatum, qvibus violentia certe fuit exoſa, ne verbulo qvidem memoraſſe. Ex ſolius ſaltim Gelleri verbis, ſed qvaſi per nebulam, tale qvid derivari poſſe videtur, cujus cauſam ſat multis adhibitis conjecturis aſſeqvi, aut ullam probabilem rationem excogitare non potui; nam ex omnibus probabiliſſima, etiam mihi improbabilis viſa eſt, ſcilicet qvod injuſti & factioſi magnates, ut & litigioſi avari & ſcelerati qvidam nobiles, pugiles, & manu promti, qvorum intererat, ut duella, monomachiæ, & privatæ ultiones in uſu eſſent, & nunqvam abrogarentur, cauſatos fuiſſe, legem illam non legitima & libera rogatione cujusdam Magiſtratus, ſed qvaſi raptu qvodam & impetuoſo impulſu paucorum civium, Thorſteini nempe, Illugii, Önundi, Svertingi & aliorum qvorundam, annuente Skaptio Nomophylace, tantum non per vim latum fuiſſe, ideoqve a magna civium

parte parum æſtimatam fuiſſe, licet viri frugis & pacati eandem ut legem bonam & publico utilem, imo etiam valde neceſſariam, æſtimaverint. Hæc, ut dixi, cauſa, mihi probabiliſſima viſa eſt, ſed ſimul etiam improbabilis, cum *Vitæ Gunnlaugi* auctor cap. 11 multis emphaticis verbis contrarium afferat, licet multiloqventia illa, qvæ ibidem hac de re adhibetur, ſuſpicionem excitare poſſit, qvædam eorum non eſſe ipſius auctoris, ſed a librario qvodam Textui inſerta.

Factum Hrolfi indicatur accidiſſe regnante in Norvegia Haraldo Sigurdi filio, & qvidem non primis regni ejus annis, ſed non ſine auctoris ſui ipſius contradictione & inſigni hiſtoriæ confuſione. Dicit enim ipſum Thorvardum Höſkuldiden & Hallum Otryggi Romam petentes Haraldum Regem Norvegiæ conveniſſe, ſed qvosdam eorum, qvorum præcipuus fuit Oddus Grimi, in Islandiam revertentes, ad Canutum Magnum in Angliam divertiſſe, qvi chronologiæ abuſus aut neglectus, ſi non omnibus, certe plurimis noſtratibus antiqvis ſcriptoribus uſitatus eſt; ego autem neutrum horum, nec approbare nec refellere ſuſtinens, id tantum ut verum accipio, qvod hæ ad duella in foro generali revera factæ aut cogitatæ provocationes poſt primam eorum abrogationem acciderint, qvæ certe effectui datæ fuiſſent, ni qvidam ſedatiores ingenii viri interceſſiſſent Plures ejusdem nominis & formæ pugnas ab Hiſtoricis enumeratas adferre non poſſum; ſed ſingulares pugnas eum in finem, ut ex earum eventu tam de cauſæ juſtitia, qvam perſonarum prærogativa aut judicatum fuit, aut ut ita judicaretur, oblatas aut inſtitutas fuiſſe putamus, qvibus nihil, ut duellum eſſent, niſi nomen defuiſſe videtur, qvales fuerunt a Grettero anno 1015 aut -16 Bardo Gudmundi non oblata, ſed fere obtruſa, ut & altera, ad qvam paulo poſt Thorbiörnum Ferdalang provocavit, & recuſantem occidit; Thorgeiri Havardini certandi invitatio Thormodo facta, & forte ejusdem generis plura. Qvod autem ſcripſi veriſimile videri hanc conſtitutionem toties iteratam fuiſſe, qvoties tale qvid accidit, aut opus eſſe videbatur, conjectura eſt, fundata tantum in exemplis ſeu caſibus & cauſis non plane abſimilibus Sæpius enim, ſub regimine democratico accidere ſolet, cum cives generis nobilitate, divitiis, potentia, & populi favore florentes leges transgrediuntur, ſed debita pœna ſine ſeditionis metu affici non poſſunt, præſertim cum peccatum leges tantum & mores lædit, non vero ſingulares perſonas, qvæ reos ulciſci & jus ſuum exſeqvi valent, ut Magiſtratus, ne

ut

ut otiosus rerum spectator sedeat, aut nova proponendi edicta, aut antiqva repetendo, contentus esse soleat, qvod turbulentos & factiosos cives ad tempus qvidem sedat, & coercet, ipsum vero malum non ita eradicat, qvin subinde data occasione prosiliat. Exempla talium indigena habemus in notissima constitutione, qvod leges humanæ semper & ubiqve divinis cedere debeant, qvæ circa annum 1050 primo sancita, & deinde qvotiescunqve Episcopi de populi inobedientia & communi qvadam prævaricatione qverebantur, redintegrata fuisse videtur. Sic & de decimis &c. Qvæ omnia & simul & separatim perpensa, me eo induxerunt, ut crederem duella, monomachias, aut singulares pugnas, ad ulciscendum injurias, probandum veritatem, ostendendum virtutem, aucupandam famam, & si qvæ talium aliæ esse potuerunt causæ, non simul & semel uno proposito edicto plane sisti aut eliminari potuisse, in qvo utrum sine omni causa & probabili ratione erraverim, penes Te vir consultissime, & æqvos rerum censores, judicium sit.

Displicent præter hæc qvædam a me durius dicta (ut qvibusdam videtur) inter qvæ maxime eminent, qvod de auctore Vitæ Gunnlaugianæ scripsi. 1) Haud apposite Thorfinnum de Raudamel, ut Thorsteino Egillidæ prorsus æqvalem, & multo ineptius ipsum Thorgilsem Thorfinni filium ut Gunnlaugo & Helgæ ætate parem adduci. 2) Qvod *Niali Vitam* corrigere voluerim, & aggressus sim, de qvibus me pro Tua humanitate amice & modeste mones, ego autem animo gratissimo accipio, & gratias, pro præstita benevolentia reddo, prout debeo maximas. Tuam etiam hac occasione scriptam de Synchronismo commentationem, laudo & veram esse agnosco, licet in qvibusdam exceptionem pati posse videatur, sed qvæ me, ut ita scriberem adduxerunt, hæc habe. a) Qvod Thorfinnum attinet, fuit is Selthoreri filius, ille autem Grimi illius filius, qvi si non primus, certe inter primos Islandiæ occupatores, numerandus est. Cum enim in Steingrimsfiordum veniret, nullos ut videtur ibi invenit incolas, qvi cum hospitio exciperent, unde in inculta insula hyemare necessum habuit. Hic primæ statim mansionis anno in Islandia mortuus, reliqvit filium Selthorerem impuberem, circiter 6 aut 8 annos natum, qvi proximo vere cum matre inde discedens, multas nemini jam possessas egregias provincias per biennium peragravit, donec in vallem Hnappadal, jam penitus incultam, perveniret, qvam totam cum universo terrarum tractu, inter amnes Kaldaa & Nupaa, sibi appropriavit,

qvi tractus duas fere trientes facit totius provinciæ, qvæ hodie *Hnappadals Sysſla* vocatur, hic enim ei, & non alibi, ex oraculi edicto *Marmenill* ɔ: hominis marini habitandum fuit, nam hic eqva ejus, cui nomen fuit Skalm, ſarcinis onuſta decubuit, qvod ex hujus oraculi indicio habitaculi ſignum fuit; qvæ ex *Landnama* huc transſcripſi ad probandum Selthorerem inter primos Islandiæ occupatores locum mereri. Natus itaqve is videtur circa annum 870, ſed filius ejus Thorfinnus ante aut circa annum 900, ita ut ille Egillo Skallagrimidæ nato 910, ſi indicia in ejus Vita occurrentia ſeqvi tutum eſt, ad minimum decennio major fuerit, unde patet, me non prorſus inepte dixiſſe, aptius fuiſſe, ſi auctor Thorfinnum potius Egillo qvam Thorſteino æqvalem feciſſet, una itaqve cum Thorſteine aliqvot annos in vivis eſſe potuit, licet ei non eſſet æqvalis, & ea tenus me ſimul rerum & confitentem habes. b) Qvod autem ſcripſi multo ineptius ipſum Thorgilſem Thorfinni filium ut Gunnlaugo & Helgæ ætate parem adduxiſſe, hanc habet rationem: Gunnlaugus Thorſteinem interrogavit: Ubinam qvæſo matrimonium filiæ tuæ circumſpicis, ſi Illugi Nigri filio nuptum dare renuis? qvinam enim in Borgarfiordenſi tractu eo majoris nominis ſunt? id eſt: Qvinam ei genere dotibus, divitiis, ætate, & qvæ ejusmodi alia eſſe poſſunt, conjugum omnimodam æqvitatem ſpectantia, magis pares qvam ego? cui Thorſteinus reſpondit: Thorfinnus Raudamelenſis ſeptem habet filios, omnes tam bene informatos, ut non multum diſcrimen interſit, id eſt tam bene pares & aptos conjugio filiæ meæ, ut te non ſint multo inferiores; ſed qvosnam filiorum Thorfinni potiſſimum indigitaverit, ex *Auctoris* verbis pag. 64, ubi eos nominat, concludi poteſt, Thorgilſem ſcilicet Eyvind & Thorer, qvorum primus Thorgils dudum ſibi conjugem adſciverat, Unam filiam Alfi Dalenſis, & jam mortuus fuiſſe videtur, cum ejus in filii ejus Thorſteini controverſiis nulla fiat mentio, & Una ejus uxor fratri ejus Thoreri altera vice nupta eſſet. Thorſteinus autem Thorgilſi filius in matrimonio habuit filiam Illugi Svarti, Gunnlaugi noſtri ſororem, unde anno 1008 a ſoceri partibus unacum Gunnlaugo ſtetit. Te itaqve vir Perilluſtris judicem appello, & ex Tua ſententia auctori ſatisfaciam, prout litem æſtimabis, ſi in ea cecidero, eo qvod dixi eum multo ineptius Thorgilſem hunc, jam ut videtur mortuum, nominaſſe, qvaſi Helgæ nuptiis parem, ſed de talibus tantulisqve minutiis plus ſatis dictum eſt.

2) Al-

2) Alterum autem illud, qvod *Niali Vitam* correxerim, majoris momenti causa est. Fateor me eam fovere sententiam, qvod *Niali Vita* aut sit corrupta, aut ejus auctorem, scriptorem alias egregium, & inter optimos nostros Historicos numerandum, aliqvid humani passum esse in computatione annorum exilii Flosonis, cum loco triennii, qvod extra patriam se continere debuit, biennium tantum exulasse indicet, nam secundum ejus calculum anno 1013 abiit, sed 1015 reversus est. Et auctor nihilo minus dicit eum omnia ad assim implevisse, qvæ ei aut solvere aut aliqvo modo facere indicta erant. Hunc ego errorem detexi, & qvomodo emendari possit monstravi, ita tamen, ut priorem modum incompetentiorem ipse judicarem, posteriorem autem in medio reliqvi, suum cuiqve de eo tacite relinqvens judicium, nihil autem in textu correxi, mihi enim hac de re eadem sedet cogitatio ac Tu de Te profiteris. Variantes lectiones amo, cum ex illis conspici qveat, qvomodo veteres legerint & intellexerint. Similiter etiam doctorum virorum conjecturas de corruptorum locorum emendatione, & difficilium vero intellectu, ut & locorum dissentientium conciliationes magni facio, hæc enim omnia ad verum veterum auctorum intellectum & antiqvæ Historiæ ad suum pristinum nitorem restitutionem, utrumqve fere faciunt paginam. Hunc locum in mendo cubare (ut dici solet) negare, ut puto, non juvat. Multo satius est, statim veritatem confiteri, qvam palliatis excusationibus illam tegere, & hoc modo aliis gravius errandi occasionem dare. Ocissime pedibus in Tuam irem sententiam, qvod nostrates Flosoni, in gratiam aut honorem Pontificis Romani, qvem ipse absolvisse fertur, unius anni exilium condonaverint, ni obstaret. a) Lex illa ex Jure Ulfliotiano reformato, qvam ipse allegas pag. 17. " Ef " hann kemur fyrr út hingat, enn hann hafe þreá vetor á brott veriþ, oc " verþr hann scogarmaþr. " Id est: *Relegatus, si ante tres hyemes redierit, exilii plem poenam subeat;* qvod lex hæc non exacte completos tres annos postulaverit, libenter concedo, sed integri anni defectus condemnationem certe meruit. Manifestum etiam est, saltim seqvioribus seculis (ut ex exemplo Lopti Paulidæ mox allegando patet) arbitrium paciscentium in tali re multum potuisse, id autem si hic intercessisset, tum id diligens auctor certe notasset. Taceo qvod Karius nondum ex sua peregrinatione redierat, sed Thorgeiro Skorageiro inscio Flosius reversus est. b) Auctoris silentium, qvi id certe indicasset, si id factum

 fuisset,

fuisset, ut nostratium gratitudinem & honorem sancto illi Patri debitum, qvod propriam ejus absolutionem tanti fecerint, ut illius ergo vim legis ipsi infregerint, & ei hoc modo absoluto, unum exilii annum donaverint. c) Ni vetaret ipsius auctoris confessio expresse dicens, Flosium exilii etiam poenam perfecte exantlasse. d) Tandem etiam obstant exempla Solmundi *Liosvetninga-Sagæ* cap. 2. cui talis unius anni defectus vita stetit. Lopti Paulidæ *Sturlunga* Lib 4. cap 39, qvi, ut videtur gratia & conniventia hostis sui, sed viri optimi, Thorvaldi Gissuridæ talem unum annum perpetuo qvadrantis exilio commutavit. Qvod beneficium Celeberrimo viro Sturlæ Thordi, tanti momenti visum est, ut id literis mandaret.

3) Explicandum & excusandum est, qvod mentem meam *Hist. Eccles. Island* Tom. IV. tam sincere aperui, ut scriberem confidenter me pronuntiare audere Gunnlaugum anno 1008 nec in Anglia nec in Svecia sed in Islandia fuisse, cujus me eatenus poenitet, qvod Gunnlaugi itinera & vagationes ad me meumqve scopum nihil pertinebant, sed in veram legis de duellorum abrogatione & ordalii introductione æram, qvatenus hæ res jurisjurandi vim aut speciem, aut cognationem qvandam cum rebus Ecclesiasticis habebant, ut inqvirerem, mei officii esse ducens, huic disputationi innodatus sum. Scribere itaqve potius debui audere me confidenter pronuntiare abrogationem duellorum ad annum 1008 pertinere, cum Gunnlaugus, qvi huic legislationi ansam præbuit, hoc anno, teste *Eyrbyggia* in Islandia præsens fuerit. Sed perinde videtur, qvo loco hæc res resideat, in eo enim cardo vertit, utrum unicum illud ab his verbis ductum argumentum "þá var Skapti lögsögu-" madur" fortius, aptius, magisqve & melius probet, hoc factum esse 1011, qvam a me adducti testes *Gunnlogi Biorniqve Vitæ* & *Eyrbyggia*, qvorum auctoritate confidens ego id ad 1008 retuli, sed ad huc sub judice lis est, de qva mox plura dicenda veniunt.

4) Tandem etiam excusanda venit mihi illa objectio, qvod conjecturis aut conjecturalibus argumentis meas propositiones probare adnitar. Cui respondeo: Me non uti conjecturis, nisi qvando nulla habeo antiqvitatis documenta, qvibus meam causam probem & confirmem, qvamdiu autem illa habeo, illis etiam utor, eorumqve vim, qvantum licet, & circumstantiæ concedunt, extendo, urgeoqve, ut ex ipsa tractatione liqvido constat. Conjecturis autem utor a) in rebus dubiis

ubi

ubi nulla haberi poſſunt argumenta; & obſecro! Qvid in tali neceſſitate aliud facere poſſumus, qvam conjicere; qvod autem meas conjecturas pro veritate vendiderim pernego. b) In conciliatione locorum paralellorum, ſed apparenter ſibi contradicentium, ubi hiſtorici & critici officium poſtulat, ut ille ſe veriſimilibus expediat conjecturis, cum alio modo tricas enodare & explicare non poteſt, lectori autem ſemper permitto, ut de mearum conjecturarum veriſimilitudine judicet. c) In explicatione rerum qvarumvis obſcurarum, ubi nulla alia easdem explicandi ſubſidia adſunt. d) Qvando auctores, & qvidem ſæpius ſat multi ſimul, incredibilia aut fere impoſſibilia afferunt, qvibus aliqvid veri ſubeſſe puto, conjecturis utor, eorumqve ope verum a falſo, certiora a plane incertis, ſegregare adnitor; non enim ex eorum numero ſum, licet antiqvitatem amem venererqve, qvi omnia ejus commenta ſine debita criſi & conſideratione accipienda eſſe putem, & neſcio qvid Hiſtoriæ & venerandæ antiqvitatis reliqviis nocentius fuerit, qvam tales Hiſtorici vel Scriptores, qvi ſine omni examine, qvascunqve nugas apud alios invenerint, arripiunt, admirantur, augent, poliunt & pro veritate vendunt, de qva ſimplicitate merito dici poteſt. Qvando unus anſer bibit, bibit & alter.

His ita peroratis ad rem ipſam, qvæ caput qvaſi & cor noſtræ Diſputationis eſt, me confero, qvod priusqvam aggredior, tribus tantum verbis monendum eſt, qva methodo argumentandi in chronotaxi Gunnlaugiana & olim & nunc uſus ſim. In hoc opere ipſi Vitæ Gunnlaugianæ primas dedi, cujus qvotqvot ad Chronologiam pertinentes ſententias deprehendi, collegi, & ex iis, prout ea inveni, ſecundum literæ ſonum & ſenſum, argumenta, nulla prorſus vi aut detorſione adhibita, ſed prout ſponte ſua fluxerunt, deduxi, qvæ ſi ita ceſſerunt, ut nullam in ſe haberent contradictionem, & cum aliis aliunde petitis de eadem re agentibus conciliari poſſent, pro firma & immota veritate accepi; ſi vero nec bene ſecum nec cum aliis conciliare potui, numne alium & occultiorem habere poſſint ſenſum, inqviſivi, & ſi eum invenire potui, ita ut inter ſe & cum aliis tandem convenirent, de rei veritate judicatum eſſe putavi, alias autem in ſuo loco reliqvi. Hoc modo *Gunnlaugi Biorni* & *Gretteris* Vitas, ut & *Eyrbyggiam* & *Laxdælam*, aliosqve auctores huc facientes conſuli, legi & relegi, eorumqve verba cum omnibus ſuis circumſtantiis, qvam potui accuratiſſime obſervavi, volvi

&

& revolvi, ut qvot qvalesqve continere sensus, & explicationes ferre possent, conspicerem, priusqvam ullum horum auctorum erraffe judicarem; si adhibita hac methodo & innocua crisi concordiam inter illos conciliari potui, operam bene locatam esse censui, & qvod ex hac collatione resultavit, donec meliora se offerrent argumenta, pro veritate aut verisimilitudine habui, vendidiqve, sed meliora edoctus, ad mutandam sententiam, semper sum eroqve paratus. Si autem dissentientes nullo modo inter se conciliari posse deprehendi, alterum sine dubio aut erasse aut corruptum esse putare me pronuntiavi, modumqve unum vel plures, qvo ex mea sententia restitui possit, indicavi, ut ex illis, qvemcunqve placuerit, lector eligere possit, aut ipse meliores invenire operam daret; qvam meam methodum Tu Vir Perillustris certe non damnabis, cum non multum recedat ab ea, qvam in Tua elimatissima Epistola pag. 18. veteres, qvamdiu nihil absurdi vel aperte falsii tradunt, presso pede seqvi, qvam aliqvid in eorum relationibus vel calculis ex ingenio mutare, ne genuinæ antiqvitatis loco nostra commenta vendamus, maximopere commendas. Sed e diverticulo in viam.

Primam & Tuo judicio præcipuam in *Gunnlaugi Vita* rationem Chronologicam hæc verba continent. " Þá var Skapti lögsögumadur " á Islande. " Id est: *Id temporis Skaptius Islandiæ legifer exstitit.* Mihi autem universa illa relatio de Aunundo Mosfellensi, Thoroddo Sapiente & Thorfinno Raudamelensi, qvæ ab initio cap. 5. ad hæc usqve verba: " Þessu nærst urdu þau tidende. " Id est: *Posthæc accidit* &c. inserta est, digressio esse videtur, ab aliena manu adjecta, & ad summam universæ historiæ non inutilis qvidem, hic tamen minus competenter in mediam de Gunnlaugi exilio & amoribus relationem intrusa, cum & ejus filium interrumpat & sensum difficiliorem reddat; Aptior enim & competentior ei sedes dari potuit Cap. 4. statim post Thorsteini & Illogi eorumqve familiarum descriptionem. Taceo qvod Thorfinni & ejus filiorum sat luculenta mentio cap. 5. pag. 74. injicitur. Sed qvod de Aunundo hic refertur, pari fere perspicacia legitur cap. 9 pag. 108. De Thoroddo autem & Scaptio qvæ hic habentur non qvidem iisdem verbis, sed idem significantibus pag. 116. referuntur, hæcce enim importunitas veri auctoris intentionem & genuinum verborum (qvæ de Skaptii officio agunt) sensum valde dubium, & ut ex eo indubia chronotaxis elici qveat, ineptum, facit; Nam si nexum historiæ, qvem texere cœperat,

cœperat, hac digressione non interrupisset, tale ejus filium haberemus. " Sidann nefndi Gunnlaugr ser vatta, oc fastnade ser Helgo, oc fretti " Þorstein, hvört þá mætti sva nyta? hann qvad vel sva vera meiga, oc " vard mönnum at þessu mikit gaman, þeim er vid varo staddir. Oc " þessu nærst urdo þau tidende, er bezt hafa ordit her á Islandi, at " landit vard kristit, oc allt folk hafnade fornum atrúnadi. Gunnlaugr " Ormstunga, er fyrr var fráfagt, var nú ymizt at Borg med Þorsteini, " edr heima med Illuga Fedr sínum á Gilsbacka. " Id est: *Hoc facto Gunnlaugus testibus vocatis Helgam sibi desponsat, atqve a Thorsteine qvæsivit, num hoc negotii ita conceptum jure valeret? usqve valiturum affirmavit; magna hinc omnibus qvi præsentes aderant delectatio nata est. Proxime accidit, qvod Islandia nostra auspicatissimum experta est, ut universus populus, veteri religione rejecta, Christianam amplecteretur. Gunnlaugus Ormstunga, de qvo ante dictum est, jam Borgæ apud Thorsteinem jam Gilsbachæ domi apud patrem suum egit.* Unde non absonum esset concludere, Gunnlaugum anno 999. primum abitum e domo patris parasse, dicit enim auctor pag. 48. " Þá baud Þorsteirn hônum þar ad " vera, þeim stundum er hann vilde, oc NB. þar var hann þaug missere " oc nam &c. " moxqve post id mutationem Religionis accidisse. Gunnlaugum autem illud triennii tempus ab anno ætatis 15 ad 18. nunc cum Illugo, nunc cum Thorsteine, viro comtis moribus & sedato ingenio prædito, ejus mores etiam imbibisse. Cum autem mentio Skaptii in mediam digressionem injecta sit, incertum est ad qvodnam potissimum temporis momentum vocula *þá* referri debeat, Nam

1) Si, ut ex communi usu & Grammaticalium regularum præscripto fieri debet, ad proxime præcedentem refertur materiam, cui auctor id inserit; sensus fit. Cum Thoroddus sapiens Hiallum, Thorfinnus Raudamelum, & Önundus Mosfellum tenerent, Skaptius fuit Nomophylax, qvod etiam auctori hujus additamenti genuinus sensus & intentio fuisse videtur, cum universam digressionem his verbis claudat. Omnes autem qvi hactenus memorati sunt eodem tempore vixerunt; unde neutrius nostri sententiæ hinc aliqvid aut emolumenti aut detrimenti accedit.

2) Si autem *þá*, (tunc) ad remotiora referendum est, necesse est ut id fiat aut ad proximum antecedens aut ad proximum qvod seqvitur. Observari debet, qvod omnia hanc digressionem, & conse-

 qventer



qventer etiam hæc verba ejus medio inserta: " Þá var Skapti lögſögu-" madur," antecedentia, Gunnlaugi ſcilicet cum patre diſſidium, ad Thorſteinem diſceſſus, alternata cum patre & Thorſteine manſio, tam diutinum apud hunc juris Islandici ſtudium, ut ſe id omne imbibiſſe gloriaretur, tandemqve amor Helgæ in tantum auctus & adultus, ut de ejus inclinatione certus, eam, ut videtur, ad illudendum patri ejus, de cujus cónſenſu dubitavit, aut de diſſenſu certus fuit, captioſe ſibi deſponſare vellet, ad minimum bienii aut fere triennii tempus expoſtulaſſe videantur.

3) Ad proxime ſeqvens thema ſine magno & aperto mendacio referri non poteſt. Nam inde talis exiſteret ſententia: Skaptio ſummum Magiſtratum gerente Islandia Chriſtianam religionem primo publice profeſſa eſt, qvod falſiſſimum eſſe nemo neſcit. Sed qvid tum? Nonne ad mox poſt hanc ſubſeqventem relationem agentem de Gunnlaugi actis, ad poſterioris temporis partem, qvam cum patre & Thorſteino egit, ne dicam ad ultimum vernale hujus triennii tempus, pertinentibus, ſcilicet ad auxilium Thorſteino Svarto latum, maxime autem deſponſationem Helgæ, Gunnlaugo jam itineri accincto, ab ipſo Thorſteino factam. Sane qvidem, & ſic habemus qvod volumus, imo etiam forte plus qvam volumus.

4) Simpliciſſimus autem & planiſſimus verborum ſenſus eſſe videtur, (ſi modo alium habent, qvam primo loco nominatum) qvod ad totum hujus tragœdiæ tempus, præcipue autem ejus finem reſpectum habeat, de qvo plura in ſeqventibus.

Aliud multo certius ipſe auctor eodem cap. ſuppeditat temporis criterium dicens: " Þeſſu nærſt urdú þau tídende &c. " Id eſt: *Proxime accidit* &c. Qvæ verba non ad mox memoratam digreſſionem in genere, nec in ſpecie ad Scaptii in eam inſertam mentionem referri poſſunt, cum Religio Chriſtiana anno 1000 publice recepta fuerit ſed nominati viri pleriqve diu ante & poſt annum 1000 in vivis eſſent, & Skaptius, ut ſupra ſæpius dictum eſt, triennio poſthac ſeu anno 1003 officium iniret, unde indubie referenda ſunt ad finem cap 4. ut proxima § demonſtravi, qvod etiam mox ſubſeqventia verba teſtantur. " Nú er Gunnlaugur &c. " Qvod aliis verbis ſed ſenſu plane eodem ſic ſonat. Ea tempeſtate, cum Gunnlaugus apud Thorſteinem & Illu-

gum

gum alternatim degit, introducta est in Islandiam Religio Christiana, cumqve ille triennium apud illos degisset, & feroces mores cum mansvetioribus mutasset, essetqve annorum 18, Thorsteini Svarti causam agit, Helgam denuo primo ipse, & deinde per patrem, ambit, moxqve ad exteros abit. Hunc puto & sine dubio semper putavi esse auctoris verborum genuinum sensum, nam verba, " þessu nærst urdu þaug tíd-"ende," si non absolute reqvirunt, saltim optime talem tolerant explicationem, cum nullam ad Skaptii officium relationem aut respectum habeant, aut habere qveant, sed tantum ad Gunnlaugi acta referri possint, unde auctor se confert statim posthæc ad relationem factorum Gunnlaugi qvæ ultima parte hujus triennii gessit, & non nisi unius mensis aut maxime bimestre tempus reqvirebant, ut nihil magni momenti obstare videatur, qvin Gunnlaugi in Norvegiam abitus anno 1000 (nedum 1003) fieri potuerit; nam objectiones, qvæ contra hanc sententiam moventur, eam parum tangunt, & non lædunt; nam ad

1) Qvod hæc verba " þessu nærst urdu þau tídende," digressio sit ad historiam non pertinens ideoqve verisimiliter supposititia; Regeritur:

a) Qvod sit digressio non absolute ad historiæ integritatem necessaria, non plane negatur, simul autem statuitur & affirmatur, qvod necessaria sit, qvatenus est character chronologicus ad tempus indicandum necessarius.

b) Ratione & respectu Auctoris, temporis & materiæ habet necessitatem imaginariam, ætati qva Auctor vixit propriam; omnes enim melioris notæ historici qvi Seculis 13 & 14 aliqvid de confinio Seculorum 10 & 11 scripserunt, ut auctores *Eyrbyggiæ- Laxdælæ- Vatnsdælæ- Floamanna- Isfirdinga- Grettis-Sagæ*, & alii magno numero, hujus rei honorificam mentionem facere, sui duxerunt esse officii, non tantum ut religionis honorem hoc modo declararent (& hinc est qvod tale qvid apud qvosdam sine necessitate historiæ insertum esse videtur), sed etiam id fecerunt in laudem & commendationem suorum heroum, de qvibus agebant, ut ostenderent, eos Christianæ religioni addictos fuisse, & hæc ni fallor non ultima causa est, qvod auctor noster hanc periocham suo inseruit operi; nam chronologiæ causa eum id solum fecisse dubitari potest, cum ejus videri possit perinde ac plures veterum pa-

 rum



rum curiosus, nisi omnia ejus huc pertinentia in optimam accipiantur partem.

2) Object.: Qvod hæc temporis nota minus faciat ad illustrandam veram *vitæ Gunnlaugianæ* chronotaxin qvam prior illa de Skaptii officio facta mentio. Respondeo: Hoc tuto pernegari potest, ut ex præcedentibus & tota historiæ connexione patet, qvæ hic repetere est actum agere. Huic itaqve, qvæ ad sponsalia Gunnlaugi cum Helga & ejus in Norvegiam abitum, unice respectum habet, scilicet qvod Gunnlaugus paulo ante suum abitum Christianos ritus amplexus fuerit, non vero illi, qvæ tantummodo dicit Scaptium Nomophylacem fuisse cum viri cap. 5. allegati floruere, ad qvod unice respectum habere videtur, majus tribuendum & hic credendum esse, res ipsa loqvitur.

Egregium nobis ipse Auctor cap. 6, cum his optime conveniens indice qvasi digito monstrat argumentum, dicens, Gunnlaugum, prima vice in aulam Erici Comitis Norvegiæ venientem, ibidem in Skulium Thorsteini filium incidisse. Atqvi Skulius, secundum Biörni Hytdælensium athletæ vitam, post annum 1001 ut videtur, sed certe post 1003 in aula comitis Erici non fuit, ergo Gunnlaugus in eam venire potuit anno 1000, qvod hoc modo probari potest. Skulius & ex longa & forti sub Erici Comitis signis militia, magna coruscans gloria in Islandiam reversus, & a patre magna lætitia acceptus, more nobilium juvenum ex gloriosa peregrinatione revertentium satellites qvosdam sibi adscivit, qvorum unus fuit hicce Biörnus Skulio sangvine junctus, utpote Skallagrimi ex filia pronepos. Hic cap. 2. qvinqvennium Borgæ in Skulii contubernio vixisse dicitur, & deinde integrum novennium, nunc stipendia apud Reges merendo, nunc piraticam exercendo transegisse, donec ad Olaum Crassum, primis ejus in Norvegia Regiminis annis pervenit, qvod secundum vulgarem ejus æram, qva hic auctor uti videtur, incidit in 1015. Si ergo 5 annos cum Skulio Borgæ egit & 9 in variis locis transegit Biörnus anteqvam Olaum accessit, qvi conjuncti faciunt annos 14, seqvitur Skulium in Islandiam reversum esse 1001, sed Gunnlaugum in Norvegiam venisse anno 1000, perinde ac supra ex cap. 5. calculos subduxi, qvod cum aliis Historicis testantibus Ericum anno 1000 post pugnam Svoldrensem in Norvegiam tetendisse & sceptra arripuisse, ut & Skulium, postqvam in pugna Svoldrensi

&

& alibi Comiti egregiam navaverat operam, cum eo primo in Norvegiam, & inde in Islandiam ad lares patrios revertiſſe. Ex his patet nullam me cuiqvam intuliſſe injuriam, licet primum Gunnlaugi ex patria abitum ad annum 1003 ſuſtulerim, cum ipſe auctor ſufficientem præbuerit cauſam & rationem, ut non modo ad dictum annum, ſed & multo altius attolleretur. Has autem rationes & argumenta in Chronologia Gunnlaugiana non attuli, qvod brevitati tum ſtudens apodicticum ex *Eyrbyggia-Saga* allatum argumentum ſufficere putarem, Gunnlaugum in Islandia fuiſſe anno 1008 & conſeqventer prima vice ex eadem exiiſſe anno 1003.

Unde hic non tacite relinqvendus auctor *Eyrbyggiæ*, ſcriptor exqviſitiſſimus, licet alio modo ſuum proponat teſtimonium, id enim abſolvit mentionem faciendo Gunnlaugi ad fluvium Albim anno 1008 ſub patris imperio cohortis cujusdam præfecti; alium enim qvam noſtrum ibidem indigitari perſvadere mihi non poſſum, cum nullus alius ab ullo ſcriptore nominatur hujus ætatis Gunnlaugus Ormstunga, qvam ſat celebris hic noſter pugil, & *Eyrbyggia* de eo, ut tali, loqvitur, qvi ea tempeſtate recentium rerum celebritate omnibus notus fuit, eundemqve ſtatim poſt duces primarios, Patrem nempe, Klepian annoſum, & Thorſteinem Gisli nominat, haudqvaqvam ob ſolam ejus cum Illugo propinqvitatem, ſed maxime ad indicandum, qvod animoſus hicce pugil, (cujus fama ex longa multivaga & celebri peregrinatione nuper reducis, & ex notiſſima cum Rafno controverſia in omnium ore fuit) patri adfuerit, ipſiqve militaverit, unde ei nullum epithetum præter proprium nomen omnibus notum. Thorſteino autem Thorgilſi filio, licet alias celeber eſſet, qvod eſſet Illugi gener, addit. Multo minus perſvadere mihi potui, antiqvum illum Gunnlaugum Ormstungam, noſtri proavum, hic indicari, qvod ego ob ejus ætatem, jam ad 100 annos provectam, ſi modo adhuc in vivis fuit, incredibile puto, Tu autem calculis qvam parciſſime ſubductis jam tantum annorum 88 fuiſſe ſtatuis, qvod ut poſſibile eſt, ita etiam credibile facere conaris exemplo Egilli Skallagrimidæ, qvi etiam ſenex valde armis arreptis, militum dux exſtiterit Sed qvantum hoc exemplum claudicet, & qvam longe Egilli vigens & florens ætas a Gunnlaugi decrepito ſenio fuerit, cum Egillus filio ſuo contra Steinarem ſuppetias tulit, qvem Tungu-Oddus ibidem præſens adjuvabat, inde conſtat, qvod Oddus, ſi *Annalibus* Re-

 giis



giis credere licet, mortuus eſt anno 965, ſed ſecundum Flatejenſes 966. Egillus vero communiter a chronologis natus eſſe ſtatuitur 914, ſed noſtro calculo anno 910 nondum ſexagenarius, ſed paucos ſupra 50 annos natus fuiſſe videatur, cum Thorſteino auxilia adduxit; tædio enim rerum præſentium poſt mortem uxoris, & faſtu in filium. Thorſteinem, magis qvam ſenio fractus Egillus ſedes mutavit vide *Egils-Saga* cap. 52, ut ejus factum Gunnlaugi militiam anno ætatis 88, aut potius 100, ineuntis haudqvaqvam probabilem faciat. Præterea ſi prior ille Gunnlaugus, adhuc ſuperfuiſſet, veriſimile eſt auctorem noſtrum non præteriiſſe. Taceo bonorum Auctorum talibus viris epitheton, " hinn " gamli " adjiciendi conſvetudinem, aut tale qvid criterium, unde ab aliis dignoſci poſſent; ſic noſter nominat Oſvifum Helgonis (vulgo ſapientem,) *öſvif hinn gamla*, ad diſtinctionem & nepotum & aliorum idem habentium nomen. *Eyrbyggia* ſimiliter nominat Klepian *hinn gamla*, Kiallak *gamla*, & alii alios ut *An gamli*, *Bragi hinn gamli*, *Almodur gamli*, *Hákon gamli*. Qvo jure Gunnlaugi minor ætas objici qveat, qvam ob eam anno 1008 ſub imperio patris turmæ cuidam præeſſe potuerit non video, cum jam natus annos 23, robuſtus audax & bellicoſus eſſet, & præterea nuper ex celebri peregrinatione redux, qvæ proprietates eo tempore magni æſtimatæ fuerunt, nec deſunt exempla Gunnlaugo pares vel etiam minores non turmis modo, ſed integris etiam exercitibus præfuiſſe. Nec majoris pretii aut ponderis eſt argumentum ductum a ſilentio Auctoris noſtri de præſentia Gunnlaugi ad Albim Borgfiordenſium anno 1008. Conſtitutum enim illi fuiſſe videtur, ea tantum ſcribere, qvæ Gunnlaugi genium & characterem præcipitem audacem & bellicoſum oſtenderent; ſed cum ille ibi nil tale gereret, auctori ſolam ejus præſentiam literis mandare operæ pretium non eſt viſum; nam pari modo prorſus ſilet cauſam inſolitæ freqventiæ fori in qvo Gunnlaugus & Rafnus pugnabant, & qvid ibidem a magna illa mortalium multitudine in republica emolumentum aut detrimentum geſtum fuerit, qvaſi id literis mandare minus referret, qvam qvot ictus & vulnera alter pugnantium alteri inflixit, & qvod magna multitudo congreſſum eorum ſpectavit.

Hinc etiam patet qvid cauſæ habuerit Auctor tacendi de geſtis Gunnlaugi in Anglia, cum ibi prima vice hyemaret, qvæ nulla refert, niſi qvod inſignem qvendam palæſtritam ſtravit; ſcilicet qvod Anglia

tum

tum pacata fuit, & Gunnlaugus qvod ageret, memorabile, non habuit. Similiter nihil literis mandavit de ejus ibidem patratis facinoribus anno 1009 & 1010, licet tota fere Anglia tunc graviſſimo flagraret bello, qvæ qvo minus referre potuerit, qvam ejus cum Rege ſecreta colloqvia & qvæ alibi terrarum egit, vera cauſa eſſe videtur, qvod Gunnlaugus his annis ibi non fuit, ideoqve nihil memorabile ibidem gerere potuit, certe enim ſi tale qvid exſtitiſſet, auctor non tacuiſſet. Per has itaqve objectiones immotum ſtat manetqve *Eyrbyggiæ* teſtimonium de Gunnlaugi ad Albim Borgfiordenſium præſentia anno 1008.

In oculos autem maxime incurrit, magnamqve primo intuitu habere videtur veriſimilitudinem mors Sveni Regis Daniæ & Kanuti Magni in thronum aſcenſio, qvam Auctor ad annum Gunnlaugi 21 applicat, cumqve communior antiqvæ Hiſtoriæ ſcriptorum ſententia ſit, qvod Svenus anno 1009 occubuerit, inde nata eſt illa in Vitam Gunnlaugianam Chronotaxis, qvod anno 1009 fuerit annorum 21, & ſic conſeqventer, qvæ hic ſigillatim repetere opus eſſe non videtur, qvam hypotheſin, qvamdiu meliori deſtituerer, non tamen ſine omni ſuſpicionis ſcrupulo, ſummorum virorum auctoritate inductus, & qvod Gunnlaugi Vitam non debita attentione legeram, ut veram apprehendi retinuiqve, ut ex *Hiſt. Eccl. Island.* Tom. 4. pag 358 ſq patet, ubi meam de Sveni morte dixi ſententiam. Sed vereor ne Auctoris mentem ubiqve recte habuerimus. Forte alia cogitavit qvam putavimus, nempe eam veterum hypotheſin, qvam fovent *Annal. Flat. Brev.* & forte plures conf. Celeberr. *Torfæi* Trifol pag. 136. qvi mortem Sveni Regis ad 1006 retulerunt, ſecutus fuit, & ita non multum a vero aberravit, niſi qvod ut omnes noſtrates, nunqvam verum emortualem annum hujus Regis agnovit. Qvæ ſi accipiuntur, habemus eum inter ſui ſeculi optimos chronologos, talis enim hoc modo ex ejus relatione chronotaxis reſultat Gunnlaugus anno 1003 Islandiam reliqvit. Primum inde annum (1004) in Anglia transegit. Secundum (1005) in Gothia & Svecia. Tertium 1006 in Anglia, cum ſecundum hanc hypotheſin Sveno Rege nuper mortuo Kanutus Angliæ immineret; qvæ conjectura certe non habet minorem veriſimilitudinem, qvam altera illa, qvod mortem Sveni Regis ad annum 1009 retulerit.

Sed hic ſubſiſtens, video me ad caput bivii ſententiarum in Gunnlaugi Vita fundatarum, conſtitutum, qvarum altera ex his verbis cap. 5.

"Þeſſu


" Þessu nærst urdu þau tidende " ut & cap. 6. " Skule Þorsteinsson var " þá med Eireki Jarle, " ducta, statuere videtur, qvod Gunnlaugus anno 1000 ex patria exierit. Altera autem ex iisdem verbis ut & illis qvæ de Skaptio habentur cap. 5. " Þá var Skapti lögsögumadur, " collata cum relatione de morte Sveni Regis cap. 10, ut & *Eyrbyggensium historia*, Gunnlaugi mentionem faciente ut anno 1008 in Islandiæ præsentis, qvæ omnia eo tendunt, qvod Gunnlaugus 1003 enavigaverit, de qvo divortio mea est sententia; licet prior liqvido satis ex auctoris verbis fluat, & sine ulla vi derivari possit, difficile tamen cum aliis ejus, & multominus cum aliorum Auctorum relationibus & rationibus chronologicis, conciliari potest, qvare in eam nunqvam ire volui. Dispiciendum itaqve putavi, numne alius sensus, licet paulo remotior, reliqvis tamen applicabilior, & convenientior, ex verbis & connexu relationis, illæso prorsus eorum sensu elici possit, qvod tentamen hoc modo processit.

Primo qvod Auctorem nostrum, attinet a) hæc verba (si non supposititia sunt) " þá var Skapti lögsögumadur, " præter supra allatos (generalem & specialem) sensus, hunc etiam commode recipere possunt, qvod vocula *þá* ad solum sed simul totum a principio ad finem tragœdiæ hujus tempus qvo illa acta est, tantummodo hic respectum habeat, ita ut illa cum ejus officii initio anno 1003, cum Thorsteinus Helgam Gunnlaugo ad iter accincto desponderet, cœperit, & sub ejus officio finem habuerit, Skaptiusqve ipse hujus non minima pars fuerit, cum Rafni in ejus cum Helga nuptiis conciliandis pararium egerit. Et talis horum verborum explicatio meo judicio veritati omnium felicissime litat. b) Verba cap. 5. " Þessu nærst urdu þau tidende, " nec expungenda, nec immutanda esse censeo, sed ut scripta sunt retinenda, & ita explicanda. Proxime his ɔ: hac tempestate, seu circa id tempus aut paulo post, qvam Gunnlaugus in domum Thorsteini venit, factam esse religionis mutationem, illum autem, ut juvenem præcipitem, procacem & gloriosum, putasse se omnem exhausisse jurisprudentiam, cum eam primis labiis gustasset, & amore pulcherrimæ virginis captum, qvod cupivit statim habere, aut de ejus possessione certum fieri voluisse, ut hæc primo statim trimestri æstatis 1000, qvo Gunnlaugus Borgæ degit, fieri potuerint, unde auctor ea recte hoc loco referre potuit, illisqve reformationem Religionis ut notissimam temporis metam subjungere,

qvæ

qvæ eadem æſtate facta eſt. Gunnlaugi autem procacitas & præcipitantia qvanta fuerit vel inde conſpici poteſt, qvod inconſulto & inſcio patre penuarium ejus aperuit, ſex mercium ſaccos extulit, licet nullam navigandi facultatem antea licitatus fuerat, abitum paravit, qvaſi omnia neceſſaria haberet, ſimul ac ea cogitare cœpit. Cum autem in dies ſedatior fieret, ut ipſe auctor teſtatur, nihil qvod ſcriberet hoc triennio accidit, priusqvam ultimo Borgenſis manſionis anno, ad cujus hiſtoriam ſtatim a religionis mentione ſe confert, qvo exacto, id eſt 1003, cum Borgæ & Gilsbackæ triennium egiſſet, ad exteros abiit, Skuliumqve in Norvegia adhuc manentem convenit. Pari modo objectio ex *Biörni Vita* petita ſolvi poteſt: Recte illa, ut videtur, dicit, Biörnum cum Skulio in Islandiam reduce qvinqvennium egiſſe, recte etiam qvod poſtea integrum novennium, nunc ſtipendia apud varios Reges & Dynaſtas meruerit, nunc autem piraticam exercuerit, & exactis his 14 annis ad Olaum Craſſum ſe contulerit. Sed qvo præciſe anno id factum fuerit, auctor non exprimit. Indefinite enim dicit Thordum Kolbeini ex Islandia primo in Norvegiam poſtqvam Olaus thronum Norvegicum aſcenderat, iter inſtituiſſe, hunc Regem conveniſſe, inqve ejus gratiam ob carmen encomiaſticum receptum a Rege amicis ſuis in Dania de meliore nota commendatum fuiſſe, ut hæreditatem avunculi ſui, eorum favore adjutus adipiſceretur; unde veriſimile ſit, qvod Thordus ex Islandia exierit anno 1016, cum Rege hyemem egerit, ſed in Daniam 1017 tetenderit, & autumno ejusdem anni in Brennejis, ad Olaum Regem reverſurus, a Biörno captus omnibusqve facultatibus exutus & male mulctatus redierit, qvem ipſe Biörnus eodem autumno ſecutus fuiſſe videtur. Qvod ſi ita fuit, habemus ab anno 1003, qvo Gunnlaugus Skulium in Norvegia convenit, ad annum 1017 qvatuordecim illos, qvos deſideramus, annos; nam Gunnlaugus facile tam mane æſtatis in Norvegiam venire potuit, ut Skulio itineri accincto poſt ejus in Angliam abitum ſat temporis in Islandiam transmittendi ſupereſſet; talium enim itinerum exempla in hiſtoriis ſæpius occurrunt. Conf. *Olai Tryggvini Vita*, ubi eadem æſtate Giſſurus & Hialto in Islandiam, eorum legati in Norvegiam, tandemqve Kiartanus in Islandiam, meaverunt & remeaverunt. Hæc Biörni chronotaxis non modo illuſtrat, ſed etiam apodictice probat, qvæ nullo modo concedit, qvod ullo alio tempore qvam annis a 1000 ad 1003 in Skulii famulitium ve-

 nerit,



nerit; occisus enim fuit magnus hicce palæstrita anno 1024, ut ex ejus *Vitæ* cum *Laxdæla* & *Gretla* collatione patet, cum ad minimum post reditum in patriam qvinqvennium, unum scilicet annum Hytarnesi, alterum Holmi, tertium Vallis, qvartum iterum & qvintum Holmi degerat, ante autem duos cum Olao Rege, novem in variis locis, & qvinqve cum Skulio transegerat, qvi conjuncti faciunt 21 annos, qvos si a 24 annis seculi subtraxeris, remanent 3; ita ut annus, qvem omnium primum cum Skulio egit, sit annus 1003; unde seqvitur Gunnlaugum non potuisse Skulium in Norvegia ut aulicum Erici Comitis post annum 1003 convenire, cum Skulius hoc anno in Islandiam reversus sit. In eo igitur omnes notæ chronologicæ in *Vita Gunnlaugi* obviæ, cum *Biörni Hytdælensium* athletæ *vita* & *Eyrbyggia* collineant, qvod Gunnlaugus anno 1003 ex Islandia enavigaverit.

Hæc omnia ut clariora fiant, meaqve sententia de chronotaxi Gunnlaugiana primo oculi ictu omnibus pateat, paraphrasticum vitæ ejus compendium hic subjungere placet.

Natus esse videtur Gunnlaugus noster 985, qvindecem autem annos habens, vere anni 1000, forte circa aut paulo ante consvetum habitacula mutandi terminum, cum nautæ Norvegi, qvi in Islandia hyemaverant, naves ad abnavigandum solito more præparare inciperent, patris ingratiis abire tentat, noctuqve penuarium ejus aperit, seu saccos mercibus completos exportat, & ad avehendum aptat, eqvos deinde & alia proficiscenti necessaria præparat. Cum vero primo mane in procinctu staret, pater solito prius aliqva de causa e lecto surgens, ei jamjam abituro supervenit, qvi objurgato sat modeste filio merces ei abstulit, omnemqve hunc apparatum in nihilum redegit, qvod non ferens elatum & contumax adolescentis ingenium, extemplo eqvum qvem in promtu habuit, ascendit, & Borgam ad Thorsteinem se contulit, qvi eum, in gratiam amici sui Illugi, cum antea causam dissidii & discessus a patre filius ei retulisset, in suum excepit domicilium, & humaniter tractatum apud se retinuit; moris enim fuit magnatum amicitia junctorum filiis, ut variis de causis nunc domi, nunc apud amicos paternos versarentur, vide *Niali Vit. Liosvetn. Sag.* aliosqve. Hoc enim modo etiam Skulius Thorsteini filius, anteqvam peregrinationem iniit, apud Illugum fuisse videtur, unde Gunnlaugum in Norvegiam delatum socium vel sodalem suum (fóstbródur sinn) vocat, eo qvod Gunnlau-

gum in ejus pueritia hoc modo Gilsbacki agens, contubernalem habuerit. Hic, id eſt Borgæ, degenti Gunnlaugo Thorſteinus, vir frugi, & modeſtus, ne omnino inertem vitam degeret, & ut feroces ejus mores ſedarentur, prima qvædam juris elementa inculcare cœpit, qvæ præcox ingenium avide imbibit. Ne autem novitatum avido hujus exercitii continuitas nauſeam crearet, horis ſuccifivis ut aliis oblectamentis animum paſceret, imo etiam ut alea & Schachia cum filia ſua Helga qvandoqve luderet, permiſit, qvæ indulgentia procacem adoleſcentem eo induxit, ut virginis procum ageret; Thorſteino autem, cui mores Gunnlaugi licet indies cultiores fierent, non tamen plane placuerunt, id abnuente, per cavillos & technas ad metam pervenire ſtatuit, qvas Thorſteini prudentia facile evitavit. Hoc modo integrum fere triennium fallitur, ita tamen, ut Gunnlaugus, patri reconciliatus, per vices cum eo & Thorſteino ageret. His autem proxime, (ut ipſius auctoris utar verbis) id eſt hac tempeſtate, hoc triennii tempore dum hæc agerentur, Chriſtiana Religio in Islandia publice recepta fuit, qvæ verba, qva ſolum orationis filum ſpectat, pari veriſimilitudine ad primum hujus trienni, qvod Gunnlaugus cum patre & Thorſteine egit, ac ad ultimum ejus annum trahi poſſe videntur: ſi vero alia criteria chronologica, qvæ habet hæc hiſtoria, totumqve ejus contextum, tandemqve *Eyrbyggenſium Hiſtoriæ* & *Biörni Hytdælenſis Vitæ* teſtimonia conſideres, ſine omni dubio ad primum hujus triennii annum, qvi fuit ære vulgaris milleſimus, ſed ætatis Gunnlaugianæ decimus qvintus, pertinent; qvid autem Gunnlaugus præter hæc toto hoc triennio aut maxima ejus parte egerit, Auctor non refert, cujus ſine dubio cauſa eſt, qvod Gunnlaugi mores, ex Thorſteini converſatione & monitis, humaniores indies facti, qvæ ſcriberet facinora non ſuppetebant. Primum autem, qvod poſt religionis mutationem generalem, literis mandavit Auctor, eſt ejus cum Thorkello Nigro in Toparchiam Hunavatnenſem profectio, & controverſia cum colono Grimstungenſi, qvæ ad vernale tempus 1003 pertinere videtur, nam mox ſubjungitur, qvod redux a patre poſtulatum peregrinandi commeatum acceperit. Dum autem navis paratur cum Thorſteino in Langvatnsdalum animi cauſa exſpatiatur, in qva profectione Helgam ab eo uxorem ſibi expetit, & cum ipſe parum proficeret, patrem, ut ſuas vices acturus Thorſteinem conveniret, & de cogitata cum eo affinitate appellaret, exorat, qvi id evicit, ut

 Helga



Helga Gunnlaugo, conditionibus qvas refert auctor, promitteretur, qvæ omnia ante comitia generalia anni 1003 facta esse videntur. In his autem ipsis comitiis Skaptius Nomophylax officium adeptus est, ut verissime hoc sensu auctor scripserit. " Þá var Skapti lögsögumadur. " Id est: *Simul ac officium iniit* hujus tragœdiæ prima fundamenta jacta sunt, ipsoqve magistratum gerente acta est fabula, & tandem tristissimus colophon ei impositus fuit. Anno 1003 Gunnlaugus primo in Norvegiam transiit, ibiqve Skulium ad iter in Islandiam accinctum, convenit, qvi eadem æstate, sed sub autumnum huc venisse videtur; Gunnlaugus vero in Angliam tetendit. Anno 1004 ex Anglia per Hiberniam & Orcades, in Gothiam pervenit; Anno 1005 in Sveciam profectus est, & inde in Angliam. 1006 in Anglia mansit. Anno 1007 ex Anglia per Norvegiam in Islandiam transiit. Anno 1008 ad Albim magnæ illi multitudini, qvæ ibi congregabatur, interfuit, & in ipsis comitiis cum Rafne congressus est. Eodem autumno in Orcades transfretavit. Anno 1009 sub hyemem in Norvegiam venit, indeqve proficiscens, in itinere fatale utriqve cum Rafne duellum iniit. Hanc in Gunnlaugi Vitam paraphrasin adornavi, eiqve momentosas, qvas secum fert, inserui circumstantias, ut qvomodo hunc auctorem intelligerem constaret, & neqvis ex ante a me dictis minus aptam mihi sententiam tribuere possit, si enim qvædam a me de hac re cum his non conveniunt, qvæ antea scripta sunt, inde est qvod meliorem nactus informationem sententiam mutavi.

De dissensione Auctorum in constituendis Olai Crassi Norvegiæ Regis & ejus Prædecessoris Erici Comitis epochis, nihil habeo qvod illis addam, qvæ olim de ea re a me scripta sunt, ad ea autem, qvæ jam scribis respondere, nec vacat, nec animus fert tecum contendere, cum ad meum scopum parum faciant; id saltim obiter Tibi patefacere non neqveo, qvod non intelligam qvomodo Norvegi, exceptis tantum paucis Olai Regis necessariis & clientibus, constanter ei adhærentibus, ejus imperium & sceptra, ut legitimi Regis ac domini agnoverint, postqvam anno 1029 in qvovis foro publico solennibus institutis Comitiis, fidem ei & jusjurandum renuntiaverant. Canutum autem præstito homagio acceperant, & publice Regem sibi esse proclamaverant, qvi hujus subjectionis vi & auctoritate firmatus & fretus, novos illis Magistra-

tus,

tus, novas leges, novumqve fupremum imperantem Haconem Comitem, fui abfentis vices gefturum dederat, ipfiqve haud inviti acceperant. Olaus contra, licet qvoddam tempus intra regni limites hic illic latitaret, donec commode elabi poffet, tandem vi ejusdem renunciationis & fubfecutæ rebellionis, nunqvam reverfurus, ni fomnio monitus fuiffet, ex regno exceffit, qvod nunqvam deinde recuperavit. De rebus facti hic, & prout evenerunt, fed non de contingentibus, & qvomodo evenire potuerunt, fermo eft.

Haudqvaqvam mirandum videtur, nec ullam apud Hiftoriæ Norvegicæ peritos, qvatenus ab Islandis fcripta eft, excitat dubitationem, qvod non memorant Olao Regi Anno 1014 in Norvegiam venienti cum Erico Comite ullam rem fuiffe, cum fateantur Ericum ex Norvegia exiiffe anno 1012, integro biennio anteqvam Olaus venit, multiqve eorum fcribunt Ericum aliqvid de futuro Olai adventu præfagientem, eo libentius e regno exceffiffe, qvod ipfe cum eo de regno pugnare noluerit.


De Romano Flofii itinere utrum pedes an eqves id fecerit, parum referre puto, cum religiofos, qvibus non injunctum fuit, ut pedibus limina Apoftolorum adirent, fed fponte fua peregrinati funt, utrumqve modum exercuiffe conftet, in qvorum numero Flofius fuiffe videtur. Conf. exemplum Urækiæ *Sturlunga* Lib. V. cap. 46. Nec majoris momenti eft, qvod uterqve noftrum de Sigurdo Comite in Weftra-Gautlandia notavit, cum Sigurdi pro Rögnvaldi nominis pofitio pari verifimilitudine librario ac Auctori adfcribi qveat; minime autem hujus fcriptoris auctoritate ita moveor, ut credam unacum Rögnvaldo alium qvendam Weftro-Gothis imperitaffe, cum de eo apud omnes alios antiqvos altiffimum fit filentium.

Hæc fere funt qvæ amica hac & apologetica ad eruditiffimam Tuam Epiftolam refponfione Tibi me excufare volui, fcilicet fola me ductum fancta fimplicitate, qvæ olim in *Hift. Ecclef. Island.* Tom. I. & IV. hac de re fcripfi, fcripfiffe. Ipfa autem hujus fcriptionis forma non verbis tantum fed ipfa re oftendit, qvomodo antiqvos noftros auctores tractare foleam, meamqve ut puto methodum fatis excufat; res vero in ea contentæ, qvid me impulerit, a Tua aliorumqve doctiffimo-



rum virorum de chronotaxi Gunnlaugiana ſententia recedere, oſtendunt, & excuſationi erunt, qvæ jam omnia Tibi ſiſto, Tuoqve ſubjicio limatiſſimo judicio. Qvaliacunqve itaqve ſunt accipe & boni conſule, nec patere qvæſo! amice vetus & conſtans, ut a chronico hocce noſtro diſſidio, vetus noſtra amicitia qvidqvam detrimenti, nedum aliqvid chronici mali contrahat.

Qvod ſupereſt, diu multumqve vige, vale, flore!



COROLLARIA

ſeu Notæ qvædam Hiſtorico-Chronologico-Criticæ, huc pertinentes.

1) Dicit Auctor noſter cap. 1. Joſridam fuiſſe annorum 18 cum Thorſteino nuberet, unde ſeqvitur eam valde teneræ ætatis Thoroddo Tungu-Oddi filio elocatam fuiſſe; nam incendium Blund-Ketilli accidit Anno 962, ſed proximo anno 963 Thoroddus eam duxiſſe videtur: Anno 962 Thorvalldus, Thoroddi frater, ob incendium Blund-Ketilli triennali exilio mulctatus fuit, ſed cum ille ſtato tempore non rediret, Thoroddus ad eum inqvirendum ad exteros abiit, qvod vix priusqvam qvarto ab ejus diſceſſu anno id eſt 966 fieri potuit; Thoroddo autem in hoc itinere etiam mortuo, & certo de ejus obitu accepto nuncio, Joſrida Thorſteino nupſit, qvod anno 967 aut 68 factum eſſe videtur: Fuit itaqve Joſrida 12 aut 13 annorum puella cum Thoroddo nuberet:

2) Hinc patet Skulium Thorſteini ſecundo genitum ante annum 970 natum non eſſe, & longum illud tempus, qvo primum aut celebris cujusdam piratæ, aut propriis auſpiciis piraticam exercuit, eſſe annos a 990 ad 996; aliud autem longum tempus, qvo Erico Comiti militavit,


militavit, ſtatuendum eſt fuiſſe a 996, cum Comes e Norvegia ejectus tale vitæ genus eligeret, usqve in annum 1000, qvo iterum imperio Norvegico potitus eſt; nam 995, prælio qvo Ericus piratas Jomsvikenſes devicit, Skulius non interfuit, ſed anno 1000, in prælio Svoldrenſi, ſtrenuam Comiti navavit operam, toto autem hoc tempore octo (Folkoruſtur), magnas, qvibus juſtis concurſum fuit exercitibus, pugnas pugnavit, aſſiduæ enim piratarum velitationes, & minora prælia in hunc cenſum non veniunt; Ab anno 1000 ad 1003, Skulius cum Erico aut conſtanter fuiſſe, aut apud eum hyemaſſe videtur, licet tempore æſtivo, ut nobilibus mercenariis mos fuit (ex. gr. Sigmundo Breſteri, Biörno Hytdælenſium Athletæ, & aliis) ſolitam exercuerit piraticam, ſed ab anno 1003 ad mortem usqve, conſtanter Borgæ, ſocios primum cum patre, ſed poſt ejus fata propriis auſpiciis lares habuit.

3) Errat Auctor Egils-Sagæ ſcribens cap. 32, Egillum viva adhuc uxore ſua Asdiſa ſenio impeditum, generalia Comitia non adiiſſe, ſed filium Thorſteinem miſiſſe, qvi ibidem ſuas vices ageret; nam Egillus paucos ſupra 50 annos habuit, cum uxor moreretur; alia itaqve ſubfuiſſe cauſa videtur, forte uſitatus magnatibus mos, ut filios hoc modo muniis & actionibus forenſibus aſſvefacerent:

4) Nec minus exorbitat cap. eodem dicens Thorſteinem duxiſſe Jofridam, viva adhuc matre Asdiſa, cum hæc circa annum 962 fatis ceſſerit, illa autem non priusqvam anno ſeculi 966 aut 67 priorem maritum amiſerit.

5) Graviſſime autem peccat cap. 54, ſi vera & genuina eſt lectio, qvam habent plurima noſtra apographa, qvod Egillus nonam annorum decadem exorſus ſit, (öndverdlega á dögum Hakonar Jarls.) mane dierum Haconis Comitis, & ſic natus eſſet paulo poſt annum 884, ſed nonam decadem incepiſſet circa annum 964, qvod ſine dubio antiqvi cujusdam librarii incuria, erratum eſt, qvi loco *öndverdlega*, ſcribere debuit *ofarlega*, id eſt ſero, ſeu Haconis Vita ad exitum vergente; nam ſi Egillus ſecundum vulgarem hypotheſin natus eſt anno 914 nonam ætatis decadem, ſeu ætatis annum 81, inchoavit anno 994, qvi Haconis Vitæ fuit penultimus; ſi autem, ſecundum noſtram, hanc lucem

primo



primo aſpexit 910, nonam ætatis annorum decadem anno ſeculi 990, uno ante Haconis obitum qvinqvennio, iniit, qvod cum tota hiſtoriæ compage optime qvadrat.

6) Veritati propius, licet non ſatis clare, loqvitur auctor Vitæ Biörni Hytdalenſium Athletæ cap 2. dicens eum ad Ericum Comitem veniſſe "ofarlega á hanns dögum," ↄ: vergente ejus tempore ad finem; id autem factum eſſe 1008, pro certo habemus, qvod ſi Ericus imperium in Norvegos usqve in annum 1015 retinuit, in medium ejus imperii tempus, non vero in partem ejus poſteriorem, aut ad finem vergentem incidit; ſin vero Auctor finem imperii ejus conſtituit annum ſeculi duodecimum, falſiloqvii non poteſt accuſari, cum jam tertia tantum pars ejus in Norvegia imperii reſtaret, & hanc illius mentem fuiſſe, hicce loqvendi modus clare docet.

